Theologia polemica.

Smalcii (Valentini): Examinatio centum errorum, quos Martinus Smiglecius Jesuita collegit.

Racoviae typis Sternacianis.

1615.

finis desid.

powinno być str. 40.

EXAMINATIO CENTUM ERRORUM,

Quos MARTINUS SMIGLECIUS *Jesuita*
Ex duabus Libri nostri, nuper adversus monstra ipsius editi, partibus
collegit.

Autore
VALENTINO SMALCIO.
Cœtus Racoviensis Ministro.

RACOVIÆ,
Typis Sternacianis.
Anno 1615.

Examinatio
Centum Errorum,

EDIDIT iterum Smiglecius Iesuita, de erroribus novorum, ut ille ait & sentit, Arianorum libros duos, in quibus (ut uno verbo jugulum illorum petam) hoc unum agit, ut sola semel vel potius millies dictorũ repetitione lectoris judicium tantùm fatiget. Ad horũ refutationem priusquam accedam, operæ pretium me facturum putavi, si ad catalogum, quem libris istis antepofuit, inquo errores, eosque numero centum, enumerat, aliquid respondere. Hæc enim ad hunc Catalogum responsio, instar brevis & compendiosæ universi libri ipsius refutationis erit, vel saltem pro utili totius hujus disputationis nostræ illustratione jure censeri poterit. Libet autem & illud annotare, Smigleciũ, qui antea nobis monstra objectabat, nunc errores objicere. Quod, utut moderationẽ aliquam sapere videatur, æquè tamen falsum est, ut ex responsione patebit. Sed nunc ad catalogum errorum accedo.

Et primùm miror affectationem istam numeri centenarii. Quàm enim sit puerilis, & Smiglecii tum eruditione tum ætate indigna, etiamsi tandem vera esset, nemo non videt. Iam, cùm etiam falsa sit, nam si exactè ea expendantur, quæ Smiglecius recenset, contrahi in multò pauciora possent: & si ea, quæ recenset, errores essent, multò plura talia ex libro meo colligi possent; expendat ipse Smiglecius, quid de isto specioso titulo censedum sit. Et certè pœnam jam luere videtur istius suæ affectationis, dum in numero ipso errare (Deo forcasse sic volente) coactus est. Bis enim numerum 41. asscripsit. *Lapsus Smiglecii in numero errorum.*

Errores autem de Deo nostros commemorat 17.

De Deo

VBI hoc iterum in genere observandum est: Injuriâ errores nostros appellari non pauca a Smiglecio recitata. Id enim demum errorem, ex mente sua, meum appellare potest Smiglecius, quod ego sententiam meam esse disertè affirmo. Alioquin, si id, quod ego me sentire nego, errorem tamen meum appellet, jam me cavillari jure dici potest. Non ita nos unquam procedimus, & adversarios cavillamur. alioquin enim tot errores Smiglecio objicere possemus, quot sunt in universo ejus libro periodi: Sed ea illis pro erroribus objicimus, quæ ipsimet disertè pro veris sententiis habent, ut *Quid error alicujus censendus sit.* *Errores Pontificiorum.*

exempli gratia: Vnam numero Dei essentiam tribus personis esse communem: Christum constare ex duabus naturis, quarum altera persona sit, altera verò non: Christum non esse perfectam humanam personam, vel perfectum hominem: Spiritum S. esse personam a patre & Christo, cujus est Spiritus, distinctam: Sacramenta esse septem, & omnia ad salutem necessaria: Missam esse sacrificium pro peccatis vivorum & mortuorum: Panem in cœna Domini, accedentibus quinque vocibus, transsubstantiari in corpus, & vinum in sanguinem Christi: Panem consecratum esse adorandum; sacerdotem esse confectorem corporis & sanguinis Christi: sanctos mortuos esse honore divino colendos, idque necessariò: Mariam virginem esse reginam cœli; & omnia, quæ de Deo dicta sunt in Psalmis Davidis, ad eam transferri posse; cultum ei talem, qualis humanæ Christi naturæ debetur, deberi: Papam esse caput ecclesiæ Christi: Papam posse leges constituere, quæ conscientiam obligent: ecclesiam errare non posse: ecclesiæ judicio standum esse in intelligendis S. literis: homines post mortem in purgatorium commigrare: Reliquias sanctorum & varia crepundia, quæ Papa consecravit, conferre beneficia spiritualia, ut alia sexcenta (absque ulla hyperbole) omittam. Si ita nobiscum ageret Smiglecius, experiretur pauciora esse, quæ ipse pro erroribus venditare posset. Quod ut ad oculum appareat, jam tandem in specie examinemus eos, quos commemorat, errores.

Quo sensu dicatur, Deum verum non esse unum.

Primum errorem facit, *Deum verum, non esse unum*. Hæc verò verba, ut nudè prolata, captio sunt & cavillus, ita rectè intellecta ipsissima sunt veritas. Affirmam⁹, non tantùm Deum illum unum, qui pater est Christi, sed alios etiam, in quorum medio Deus ille stetit, & qui ab illo Dii & filii altissimi, sunt appellati, & inter hos suo modo Iesum Christum, esse veros Deos. Non sunt enim falsi Dii. Inter verum autem & falsum nullum est tertium, sed sunt contraria ἄμεσα. Certissimum igitur est, non unum tantùm Deum esse verum. Quòd verò Deus ille unus, qui Pater est, *solus* verus Deus dicitur, id non ideò fieri dicimus, quia nemo alius, præter Patrem, verus Deus sit, sed quia nemo alius præter Patrem, adeoque nec ipse etiam Iesus Christus isto prorsus modo verus Deus sit, quo ille est. Quemadmodum etiam idem Deus solus beatus, sapiens, & immortalitatem habens appellatur, non quòd nemo præter eum beatus, sapiens, & immortalis sit, aut futurus sit, sed quia nemo isto modo beatus, sapiens & immortalis sit, quo ipse Deus est. Deus enim a seipso & naturâ beat⁹, sapiens, immortalis est: Reliqui omnes tales sunt & erũt Dei beneficio. Et ea, quę singularissima sunt, sola talia esse dici, vera est in Theologia regula.

Quo sensu dicatur Patrem esse solum verũ Deum.

Similis huic primo eſt ſecundus: *Deum verum, non eſt neceſſe eße ſummum.* Nam ſi conſtet, Deos veros eſſe omnes illos, qui a Deo dii ſunt conſtituti, quod jam oſtendimus. cùm falſi non ſint, nec detur, inter falſum & verum, medium, parumné liquet, non eſſe neceſſe, ut is, qui eſt verus Deus, ſit ſummus ille Deus? Cùm ſummus non poſſit eſſe niſi unus: Veri autem plures uno ſint, teſte Paulo, qui ait: Multos eſſe deos in cœlo & in terra.

Deus verus eſt, qui nõ eſt ſumm⁹.

1. Cor. 8. 5.

Tertium errorem facit Smiglecius: *Dei nomen non eße naturæ ſed poteſtatis.* Hoc nos ſentire confitemur: ſed adhibita hac cautione, quæ ad diluendas cavillationes, ne dicam calumnias, Smiglecii, quas in explicanda hac re adhibet, planè ſufficientiſſima eſt. Non dicimus, Deum non eſſe Deum naturâ ſed poteſtate. credimus enim, Deum eſſe Deum naturâ & eſſentiâ: Sed vocem Dei in latino & græco ſermone, de illo ſupremo numine, quod naturâ tale eſt, uſurpatam, dicimus, ſignificare non eſſentiam iſtius ſupremi numinis, ſed ejus poteſtatem: Idque inde apparere contendimus, quòd eadem vox, aliis etiam, qui naturam divinam non habent, poteſtate autem divina præditi fuerunt aut ſunt, in ipſis S. literis ab ipſo Deo & Chriſto tribuatur.

Quo ſenſu vox Dei dicatur eſſe non naturæ.

Similis huic tertio eſt quartus error: *Dei nomen non eſſe proprium ſed commune.* Nam ſi aliis etiam, teſte ipſo Deo & Chriſto, vox Dei competat, quomodo proprium eſſe unius poteſt? Proprium enim eſſe, & multis competere, contraria ſunt. Proprium tamen ſupremi illius numinis dici poteſt, quia perfectiſſimo modo illi competit. Et poſſum hic opponere Smiglecio alios recentiores Theologos, qui idem cum eo ſentientes, & non minùs nos atque ille impugnantes, ſponte ſua confitentur, vocem Dei non eſſe propriam ſed appellativam, ut nuper fecit Albertus Graverus Theol: in Academia Ienenſi Doctor, in theſibus de perſona Chriſti, ad quas jam reſponſio noſtra extat.

Quo ſenſu vox Dei ſit propria ſummi Dei.

Quintum errorem conſtituit Smiglecius: *Dei poteſtatem non diſtare infinitè a poteſtate rei creatæ.* Sed hic cavillo non caret. Nam ſi res creata per ſe conſideretur, fatemur, Dei poteſtatem infinitè diſtare ab illius poteſtate: Sed ſi res creata ita conſideretur, ut ab ipſo Deo exaltari poteſt, falſiſſimum eſſe dicimus, poteſtatem Dei infinitè diſtare ab illius poteſtate. Vt enim poſſibile eſt, rem creatam Deo fieri æqualem, nec ullam id implicat contradictionem, nec abſurditatem continet; imò Deo longè digniſſimum, & humano generi longè utiliſſimum eſt & ſalutare: ita etiam conſequens eſt, poteſtatem rei creatæ eſſe æqualem Dei, ſaltem in quibuſdam rebus, & ita Dei pote-

Quatenus poteſtas Dei infinitè diſtet a poteſtate rei creatæ.

statem non infinitè distare a potestate rei creatæ. Æqualem enim esse, & infinitè distare, iterum contraria sunt. Quemadmodũ etiã dici potest, hominis, quatenus homo est & proinde res creata, felicitatem & gloriam, infinitè distare a felicitate & gloria Dei: rursus verò, quia homo quatenus fidelis est, ad felicitatem & gloriam ipsius Dei olim perventurus est, nullo modo dici potest, felicitatem & gloriam Dei infinitè diversam fore a felicitate & gloria rei creatæ. Hinc enim de hominibus fidelibus dicitur, eos similes Deo futuros, quia eum videbunt, sicut est; & datum illis iri potestatem super gentes, & pasturos eas in virga ferrea, sicut & Christus accepit a Patre suo. Quanquam vicissim concedimus, in nemine alio ita æqualitatem potestatis cum Deo unquam apparuisse, ut in Christo Iesu. Is enim solus loco Dei nunc nobis est, & ei soli Deus Pater ita omne judicium dedit, ut ipse neminem judicet. Quæ quantum ab infinitè distante potestate a Dei potestate differant, nemo non videt. Perinde enim est, ac si quis ipsius Dei potestatem, infinitè a Dei potestate distantem facere vellet.

1 Ioh: 3. 2. Apoc: 2. 26, 27.

Christi potestas, quatenus æqualis potestati Dei.

Sextum errorem facit Smiglecius, *Homines & angelos esse veros Deos*. Hic revera idem est cum primo. Nam si constet, non tantùm unum Deum patrem esse verum Deum, consequens est, alios etiam, quos scilicet scriptura Deos appellat, nempe homines & angelos, Deos esse veros. Videat igitur iterum Smiglecius, quomodo centenarium errorum a se confictum tueatur.

Quem verò septimum errorem facit Smiglecius, nempe, *Deum verum posse esse dependentem & subordinatum*, nonné etiam ex primo fluit? Nam si dantur veri Dii extra illum, qui sic κατ' ἐξοχὴν appellatur, nempe patrem, quomodo dependens & subordinatus, quales sunt omnes extra illum Deum unum Patrem, non erit Deus verus? voce *verus*, pro eo, qui non est falsus Deus, sed Deus ob potestatem divinitus sibi concessam, accepta.

Octavus error, a Smiglecio confictus est: *Non esse certum, Deum propter naturam divinam colendum esse*. Addideram ego, *præcisè*, quam vocem omisit Smiglecius. Vt enim non negamus, Deum propter naturam divinam colendum esse: sic illud *præcisè* propter eandem naturam præstandam esse, nondum videre possumus, nec id demonstravit Smiglecius. Certè autor Epistolæ ad Hebræos clarè docet, accedentem ad Deum, oportere credere, non tantùm, quòd sit, sed etiam quòd sit remunerator eorum, qui ipsum quærunt, satis innuens, si non constet, Deum esse, hoc est, divinam potentiam ex seipso habere, & esse remuneratorem eorum, qui ipsum quærunt, non

Quid ad colendũ Deum requiratur

præcisè

præcisè & necessariò causam futuram, ut quis ad eum accedat, quæ accessio vel iste cultus divinus est, vel saltem præcipua ejus portio.

Nonum errorem facit Smiglecius, *Coli pro Deo posse eum, qui naturâ Deus non sit.* Hoc ipsissimam esse veritatem, si verba *coli pro Deo*, accipiantur pro honore divino vel honore, qui sit ejusdem generis, cujus is est, qui Deo debetur, coli, contendimus; & in Christi persona consideratum, præcipuum Christianæ religionis mysterium esse statuimus, quod qui ignorat vel non intelligit, ei multùm ad cognitionem Dei & Christi deest. Aliàs enim absurdum, imò contradictio esset, colere pro Deo, nempe summo, eum qui naturâ Deus non sit.

Quatenus is, qui Deus naturâ non est, pro Deo coli possit.

Decimum errorem talem ponit Smiglecius: *Si Deus non haberet voluntatem nos juvandi, non deberetur ei divinus cultus.* Sed hîc non est diversum quid ab octavo, nisi solo numero. Nam si non ob naturam divinam tantùm præcisè colendus sit Deus, constat, eum propter voluntatem nos servandi colendum esse. Addidimus autem ad voluntatem nos servandi, potestatem etiam nos servandi. Nam voluntas sola, sine potestate, proculdubio nulla esset ad cultum divinum efficiendum. Hoc verò utrumque an non sit vera divini cultus causa, ex eo, quod ad octavum errorem annotavimus, consideret pius lector.

Vndecimus error, ex mente Smiglecii, est: *Non unum tantùm Deum colendum esse.* Hoc etiam ipsissima veritas est, si duo addantur, quæ semper nos addimus. Vnum est, sub Novo id tantùm fœdere valere. Sub veteri enim fœdere aliter res se habebat; & satis erat tunc, unum Deum creatorem cœli & terræ colere: Nunc verò, ut in Deum credimus, sic etiam in Christum credere, adeoque eum cum Deo colere tenemur. Cultus enim fidei necessarium consequens est & effectum. Fidem in Deum Christus in Apostolis commendabat, dum dicit, *Creditis in Deum:* fidem verò in se ab illis tanquam rem novam requirebat, dum addit, *Et in me credite.* Vetus erat cantio. Non habebis Deos alienos præter me: Nova est cantio, sedenti in throno & Agno, honor & benedictio. Alterum est, cultum, quo alter una cum Deo colitur, non esse diversum ab eo, quo Deus colitur: imò dici posse, unum esse & eundem cultum, qui utrique tribuitur. Nam ut is, qui credit in Christum, non in ipsum credit, sed in eum qui illum misit, teste ipso Christo, sic etiam de cultu statuendum est.

Quando & quatenus non unus tantùm colendus sit.

Ioh: 14. 1.

Ioh: 12. 44.

Duodecimus porrò error a Smiglecio enumeratus, *Plures Deos in lege nova colendos esse*, expende, an non sit numerus. Quid enim reipsa differt ab undecimo? Si non unus tantùm Deus colendus est, ne-

cessariò

cessariò statuendum est, plures uno colendos. Quanquam cavillo obnoxium est dicere, plures Deos, esse sub N. F. colendos, nec nos ita loqui unquam solemus. Hoc enim dicimus, sub N. F. non tantùm unum Deum, sed etiam Iesum Christum filium Dei, a Deo exaltatum colendum esse: At si dicatur, plures Deos colendos esse, dici videtur, esse plures per omnia pares Deos eosque colendos, quod verè Ethnicismum sapit, qualequid committit Smiglecius, dum unà cum suis fatetur, patrem esse Deum, filium esse Deum, Spiritum S. esse Deum, & eos esse colendos asserit. Hoc enim semel ita disertè prolatum, velle hoc modo eludere, non tamen esse tres Deos, sed unum Deum, est cum ratione insanire, & ex insanis stultos facere. Numeratis enim tribus, qui sunt Dii, tres in perpetuum manebant Dii. Et ut tria unum esse nequeunt, sic nec tres, Dii nominati, unus Deus esse possunt. Illud *de lege nova* nunc non exagito. Satis enim est indicasse, scripturam ita non loqui. Hæc enim legem simpliciter opponit Evangelio, & non legem novam, sed fœdus novum esse affirmat.

Cur dici non debeat plures Deos esse colendos.

Evangelium non appellatur lex nova.

Decimus tertius error a Smiglecio objectus est: *Primum & maximum mandatum de uno Deo colendo solùm ad tempora legis veteris pertinere, & in lege nova abrogatum esse.* Prior pars hujus orationis verissima est, si sobriè accipiatur, nempe sub V. F. tantùm Deum unum absque Christo colendum fuisse: posterior valdè captiosa est. Nec enim verè abrogatum est præceptum de colendo uno Deo. Ad abrogandum enim illud necessariò requireretur, ut scriptum extaret, Habebis Deos alienos coram me. quemadmodum abrogatum est præceptum de sanctificando sabbatho, per id, quod scriptum est: Nemo vos judicet in parte sabbathorum: Sed præceptum illud perfectum est & completum, dum ostensum est, posse etiam alio modo Deum coli nunc sub N. F. quàm olim cultus fuit sub veteri, Nempe ut tunc immediatè, sic nunc etiam mediatè. De lege nova & veteri in responsione ad præcedentem errorem dictum est.

Cur præceptum de uno Deo colendo abrogatum esse dici non debeat.

Decimum quartum errorem facit Smiglecius: *Legem illam divinam, de Diis, qui non fecerunt cœlum & terram, exterminandis, non pertinere ad tempora Novi Testamenti.* Sed iterum nos cavillatur, imò traducit Smiglecius. Nec enim ita loquimur, ut nos loquentes facit: sed dicimus, verba illa Prophetæ non esse absolutè accipienda, respectu etiam ipsius V. Fœderis. cùm constet, non omnes Deos, qui cœlum & terram non creaverant, tunc etiam fuisse exterminandos. Deus enim ipsemet eos pro Diis haberi, & eisdem populum suum obedire voluit. At exterminare aliquem, & eundem pro Deo habere eique obedire, contraria sunt prorsus. Quanquam etiam ad Novi

Verba de Diis exterminandis sub lege etiam non simpliciter accipienda.

Fœderis

Fœderis tempora ea non ita pertinere statuimus, ut ad Veteris Fœderis tempora pertinebant. Tunc enim, quia nemo exaltatus a Deo erat, cui divinus honor deberetur, jure id dici potuit: At hodie non sine summa Christi blasphemia dici id potest. Christus enim ipse a Deo genitus est in utero virginis Mariæ, adeoq; cœlum & terram creare non potuit: & tamen exterminandum eum esse, nemo nisi hostis Christi juratus, vel cogitare auderet.

Decimum quintum errorem de Deo appellat Smiglecius: *Vnum tantùm Deum colere, est Iudaicum quid & abnegatio Christianæ religionis.* Primùm ego aliter loquor, nempe unum Deum summum, vel unum Deum naturâ, unum Deum independentem agnoscere & colere, esse Iudaicum aliquid &c. Nec dico, id esse simpliciter abnegationem Christianæ religionis, sed *quodammodo.* Deinde additis his vocibus, *summi naturâ, independentis,* ita hoc verum est, ut, nisi novum testamentum totum rejiciatur, rejici nullo modo possit. Hoc enim aliud nihil magis urget & exigit, quàm ut unâ cum Deo uno Christus etiam colatur, adeo ut qui Christum, cui pater omne judicium certo tempore & certa de causa dedit, non honorat, nec Patrem honoret. Et possemus sanè, si jure nostro uti vellemus, multa in hanc sententiam dicere, & comprobare, eos, qui extra unum Deum, qui talis est naturâ, alium, qui naturâ Deus non sit, nempe Iesum Nazarenum, colere renuunt, propiùs ad Iudaismum quàm ad Christianismum accedere reipsa, & Iudaico-Christianam nobis religionem obtudere: Sed quia hoc tantùm per consequentias deduci potest, interim verò ab adversariis repudiatur, nolumus id illis, par pari reddendo, objicere. Novum F. cultū Iesu Christi unà cum cultu Dei unius requirit.

Decimum sextum errorem talem facit Smiglecius, *Parum curandum esse Christianis, quid Prophetæ dicant de cultu Dei unius.* Sed & hîc nihil prorsus erroris est. Si enim constet, Christum & Apostolos perfectiores esse magistros prophetis, quis non videt, etiamsi interdum diversum quid dicere videantur, vel etiam reipsa dicant Prophetæ ab iis, quæ Christus dixit & Apostoli, non istud sed hoc sequendum esse, quod est, parum esse curandum, quid Prophetæ dicant de illa re. Equidem persuasum habeo, eum, qui hoc non intelligit, in plurimis rebus perpetuò caligaturum: & qui credit, tantum in Prophetis fuisse scientiæ rerum divinarum, quantum est in Christo & Apostolis, is nec Christi ipsius, nec Evangelii ejus præstantiam satis rectè perspexisse jure dici potest. Nam si sermo propheticus est, teste Petro, instar candelæ lucentis in loco caliginoso, Evangelium verò in- Cultus Dei nunc ex N. F. petendus. 2 Pet. 1. 19.

ſtar luciferi, nonnè ratio ſuadet, exorto lucifero, parum curari poſſe & debere lumen candelæ?

Vltimum de Deo errorem conſtituit talem Smiglecius, *poſſe Deum præcipere, ut quicunque hominum vel angelorum pro Deo colatur.* Hoc veriſſimum eſſe, ſi verba *pro Deo* de deo ſubordinato accipiantur, quis eſt qui negare audeat, cùm nulla in eo ſit contradictio? Quæcunque autem contradictionem non implicant, ea omnia Deum præſtare & præcipere poſſe, ipſemet etiam Smiglecius contendit. Certè in angelis Deum ſimile quid reipſa olim præſtitiſſe S. literæ V. F. teſtantur, dum jubet populum, ut angelum illum obſervet & audiat, nec contemnendum putet, qui non dimiſſurus ſit cùm peccaverit: In Novo verò fœdere, Deum præcepiſſe, ut homo Ieſus Nazarenus pro Deo colatur, nec ipſe Smiglecius diffitetur, quantumvis in modo, quo id ei convenit, graviter & turpiter erret.

Quid Deus in cultu præcipere poſſit.

DE CHRISTO.

IAM abſoluta reſponſione ad errores, quos de Deo nos tenere credidit Smiglecius, tranſeamus ad eos, quos de Chriſto nos tenere ſentit. Hi autem numero plures ſunt, ſexaginta & unus ſcilicet.

Decimum octavum facit talem. *Chriſtum non eſſe naturâ Deum.* At hæc veritas ipſiſſima eſt. Cùm enim una tantùm numero divina natura ſit; & is, qui naturâ Deus eſt, pater ille eſſe expreſſè dicatur, ex quo omnia & nos in illum: Chriſtus verò pater ille, ex quo omnia & nos in illum, nullo modo ſit: eſt enim unus Dominus, per quem omnia & nos ipſum; conſequens eſt neceſſariò, Chriſtum non eſſe Deum naturâ ſed dignitate. Quod idem etiam alia ratione demonſtratur: Chriſtus homo eſt quoad naturam. Homo autem ſine perſona humana eſſe nemo poteſt. Iam ſi Chriſtus perſona eſt humana, quomodo Deus naturâ eſſe poteſt? Naturâ enim Deum eſſe, eſt perſonam eſſe divinam. Chriſtus autem perſona & divina & humana, vel ipſis adverſariis teſtibus, eſſe nullo modo poteſt.

Cur Chriſtus non ſit Deus naturâ.

Decimus nonus error, *Chriſtum non eſſe ſummum Deum & independentem*, præcedenti ſimilis eſt, & proinde numerus tantùm. Nam naturâ Deum eſſe, & ſummum vel independentem Deum eſſe, verbis tantùm differunt, reipſa verò idem prorſus ſunt. De quo igitur unum negatur, de eo etiam alterum, ut negetur, neceſſarium prorſus eſt.

Vigeſimus etiam error, *Chriſtum non eſſe abſolutè æqualem Deo*, & cum præcedentibus duobus idem, & ipſa eſt veritas. Nam nec

&S. li-

S. literæ nec sana ratio permittunt, ut Christus sit absolutè æqualis Deo. Illæ enim affirmant, ut alia plurima argumenta omittam, eum, qui est æqualis Deo, nihil a se ipso posse, omnia a Patre accepisse, & tandem regnum suum patri traditurum, & subjectum futurum Patri suo. Hic verò quomodo absolutè æqualis Deo esse potest? Sequeretur enim, Deum etiam nihil a se ipso posse, omnia a Deo accepisse, & alicui alii regnum suum traditurum, quod est Deum blasphemare. Hæc verò, nempe ratio sana, dictat, ubi est Deus æqualis Deo, ibi duos esse Deos pares. Æqualitas enim nunquam est nisi inter duos, & nemo sibi ipsi æqualis esse potest: At duos æquales vel pares Deos, vel duas divinas substantias æquales introducere, Ethnicismum sapit, & religionem tollit. Aut enim unus tantum naturâ Deus est, aut nullus.

Cur Christus non sit absolutè æqualis Deo.

Vigesimum primum errorem nominat Smiglecius talem: *Christum non esse unum Deum cum Patre.* Sed & hoc ipsissima veritas est. Nam unum esse naturâ & numero Deum, & aliquem alium esse unum cum Deo, contradictoria sunt. Vbi enim est unitas numerica, ibi nulli communicationi locus esse potest. Dici quidem potest suo modo, Christum esse unum Deum cum Patre, quatenus scilicet una est utriusque divinitas, licet in uno, alio, quàm in altero, modò insit: Sed hæc non curat Smiglecius.

Cur Christus non sit unus Deus cū patre.

Vigesimus secundus ex mente Smiglecii error est, *Christum esse Deum minorem, & quâ Deus est, subjectum Patri.* Sed hîc meri sunt cavilli. Nec enim nos ita loquimur. Et etiamsi ex sententia nostra id consequatur, quòd Christus sit minor Deus, nempe Patre, tamen id pro errore censeri non potest, nisi simul ipsa Sacra Scriptura errare statuatur. Hæc enim disertissimè ait, semel, Christum esse Deum: & iterum, Patrem esse majorem Christo. unde inferri posse, Christum esse minorem, nempe Patre, Deum, quis sanæ mentis dubitet? Christum autem, quâ Deus, respectu scilicet muneris, est, patri esse subjectum, non nisi captiosè nobis affingitur. Nam Christum, quatenus nunc regnat, patri subjectum esse negamus. subjectus enim futurus est, ut Apostolus affirmat. Aliud enim est, Christum accepisse omnem potestatem a patre: &, postquam eam accepit, patri esse subjectum. Quod etiam exemplo ad hanc rem accommodatissimò explicavimus, Sigismundi & Augusti Regum Poloniæ. Augustus enim, postquam regiam potestatem obtinuit, non subjectus ampliùs patri suo fuit, sed unà cum illo pariter regnavit.

Quatenus Christus minor patre.

Christus nunc patri non est subjectus.

Quod verò vigesimum tertium errorem constituit Smiglecius: *Christum esse alterum Deum, & pro altero Deo colendum*, id modò dictorum

dictorum consequens quoddam est, ideoque numerari, nisi ob centenarii autoritatem, non debuit. Nam si unus tantùm naturâ Deus est, isque Pater, quis nõ videt, cùm Christus Pater non sit, eum alterũ a patre Deũ, & pro altero a patre Deo, patri tamen subordinato, colendũ?

Porrò, quod vigesimus quartus est apud Smiglecium error: *Christum totâ suâ vitâ fuisse semideum & semidominum*, si loco verborum petulantium, semidei & semidomini reponas, Christum non fuisse perfectum Deum & dominum, ita verum est, ut contrarium ejus probari nullo modo possit. Quomodo enim is perfectè Deus & Dominus est, qui, cùm puer esset, crescebat, coram hoste fugiebat: adultus verò omnibus afflictionibus & morti obnoxius erat, ope divinâ egebat, ab angelo confortabatur, & tandem ignominiosè interimebatur? Nunc verò eundem perfectè Deum & Dominum esse quis dubitabit, qui omnia prorsus, si solum Deum excipias, subjecta sibi habet?

Quando Christus perfectus sit fact. Dominus.

Vigesimus quintus a Smiglecio ascriptus error: *Christum etsi vicarius Dei generalis sit, esse verum Deum*, explicatione eget. Nec enim nos Christum Dei vicarium qualicunque modo statuimus, sed eo modo, quo, ut antea diximus, vicarius Sigismundi Regis Rex Augustus dici potuit. Iam quemadmodum Augustus Rex, verus Rex erat, unâ cum Patre suo rege: sic etiam Christus, verus Deus est unà cum Patre suo cœlesti.

Quatenus Christus Dei vices gerat.

Vigesimus sextus a Smiglecio objectus error, *Christum ante resurrectionem non fuiße perfectè Christum, nec perfectè Dei filium, nec perfectè Deum*, quid iterum, quæso, differt a septimo? Nam non perfectè Deum & semideum esse, tantùm non verbis idem sunt: non perfectè autem Christum vel filium Dei esse, reipsa idem est, cum semidomino, ut cavillatur Smigl. Quomodo verò perfectè Christus, vel filius Dei esse is potest, qui (ut alia multa omittam) mortalis est, cùm ad perfectum Christum & filium Dei necessariò requiratur immortalitas, eáque talis, qualis in ipso Deo inest? Hinc disertè & expressè dicitur, Christũ, cùm perfectus, hoc est, immortalis & gloriosus factus est, extitisse causam salutis omnibus qui ipsi obtẽperant. Hinc etiã tunc cum Christus ex mortuis resuscitatus & glorificatus fuit, legitur illud impletum esse, quod in Psalm: 2. dictum est: *Filius meus es tu, ego hodie genui te*. Si Christus tunc genitus est a Deo, quando ex mortuis resuscitatus & glorificatus fuit; quis non videt, eum antea isto modo, quo postea, filium Dei non fuisse? Imò vox ista *Genui*, significare videtur, Christum quodammodo ad tempus desiisse esse filium Dei, nempe in morte, & deinde iterum talem effectum esse, de quo infrà.

Christus perfectè Dei filius post resurrectionem.

Heb: 5.9.

Act: 13.33.

Errorem

Errorem vigesimum septimum censet Smiglecius id: *Christum verum Deum dici propter potestatem, non propter naturam divinam.* Sed ipsemet graviter errat, dum propter naturam divinam Christum verũ Deũ esse credit. Natura enim divina una tantùm numero est. Unde sequitur, neminẽ alium eam integram habere posse. Iam enim nõ esset numero una. Quia verò Christus verus deus propter naturam divinam esse nequit, restat, eum propter potestatem verè divinam verum Deum esse. Non datur enim tertia præter has duas causas, ob quam aliquis Deus verus esse possit.

Christus ob potestatem Deus.

Vigesimum octavum errorem constituit Smiglecius, *Christum non posse dici naturâ Deum, sine gloriæ Patris imminutione.* At hoc quid verius esse potest? Nam si Pater solus sit verus & naturâ Deus; quomodo is Patris gloriæ non detrahit, qui alii etiam eandem naturam tribuit? Adde quòd, si alius præter patrem naturâ Deus constituatur, patri id acceptum referri nequeat, nec in patris gloriam cedat, quòd aliusquis Deus sit: Et tamen constat, Deum velle, ut omnis lingva confiteatur, quòd Dominus (est) Iesus Christus, *ad gloriam Patris.* Quod enim quis naturâ habet, id nemini nec ipse acceptum referre potest, nec alii possunt.

Christus Deus ad gloriam patris.

Phil. 2. 11.

Vigesimus nonus a Smiglecio allegatus error, *Christi potestatem non esse absolutè parem divinæ potestati*, idem est reipsa cum tertio, *Christum non esse absolutè æqualem Deo.* Nam æqualitas Christi cum Deo potissimùm potestatem illius respicit. Videat igitur iterum Smiglecius, quomodo numerum centum errorum tueatur. Ut verò ipsissima veritas Evangelica est, Christum non esse absolutè æqualem Deo: sic etiam non minùs verum est, Christi potestatem non esse absolutè parem divinæ, hoc est, Dei patris potestati, idque triplici de causa. Primùm enim potestatem suam omnem habet Christus a Deo Patre: Pater a nemine sed a se ipso. Deinde Christi potestas tantùm ad salutem humani generis, & ea, quæ quocunque modo ad eam salutem pertinent, extenditur: patris autem potestas supra omnia, & suo modo supra ipsum Iesum Christum. Denique potestatem hanc suam Christus suo modo olim patri reddet, & ipse subjectus futurus est Deo Patri: hoc verò de Deo dici nullo modo posse: nemo non intelligit.

Cur Christi potestas non sit æqualis absolutè patris potestati.

Similis huic est sequens trigesimus, *Christi potestatem non esse potestatem primi principii, sed causæ mediæ & instrumentalis.* Aut enim negandum est, Christum a Patre habere omnem suam potestatem: aut concedendum, eam esse causæ mediæ, ut Smiglecius loquitur. Illud verò, quia negari non potest, extat enim expressè scriptum

Cur Christi [po]testas sit c[ausæ] mediæ.

in S. literis: *Data est mihi omnis potestas in cœlo & in terra: Pater omne judicium dedit filio*, hoc alterum, ut obtineat, necesse est. Et quid aliud sibi volunt ea verba, cum dicitur: Christum esse unum dominum, per quem omnia & nos per ipsum; quid aliud ea, cùm dicitur, Deus nos elegit in Christo Iesu: Deus nobis dedit victoriam per Iesum Christum: Deus nos judicabit per Iesum Christum, quàm Christum esse causam electionis & victoriæ & salutis mediam, ut Deus Pater est causa principalis?

Matth: 28. 19. Ioh: 5. 22. Eph: 1, 4. 1. Cor: 15. 57. Rom: 2. 16.

Trigesimum primum errorem facit Smiglecius: *Christum non habere potestatem, rem ullam creandi.* Sed nos nec isto modo loquimur, nec, ut loquamur, necesse habemus. Ergo non error noster, sed cavillus id est Smiglecii. Et cur quæso ita insulsè loqueremur, cùm creationi rerum aliquarum nullus hodie sit locus? Semel enim Deus omnia creavit, & postea ab operibus suis quievit. Et quæ nunc fiunt variarum rerum variæ productiones, eæ, non nisi impropriè, creationis nomine insigniri possunt. Et si isto modo vox creandi καταχρηστικῶς accipiatur, Christum Iesum multa producere posse & producere, persuasissimum habemus.

Creatio propria in Christo locum non habet.

Pro trigesimo secundo errore habet id Smiglecius: *Christi potestatē non absolutè æternam futuram esse.* Sed hîc eum cum Paulo Apostolo committimus. Is enim disertè hæc duo de Christo ait, eum regnum suum traditurum Deo & Patri, & ipsummet filium subjectum futurum ei, qui illi omnia subjecit. Num regnū suū alicui tradere & alicui subjectū esse, cum absoluta potestate conveniūt, & non potius ei cōtraria sunt? Præterea nonnē res ipsa loquitur, id ita se habere? Si enim certum est, Christum fideles suos in solio suo collocaturū, quomodo potestas illius absolutè æterna, respectu illorum, futura est? Si verò respectu fidelium Christi potestas absolutè æterna non est futura, obvium est, respectu aliarum rerum & creaturarum omnium, eam etiam non fore absolutè æternam. Hominum enim fidelium causâ reliqua omnia Christo subjecta sunt. Quanquam quod de potestate Christi non æterna absolutè dicimus, id propriè respectu fidelium intelligendum esse credimus. Facilè enim fieri posset, ut Christus in æternum omnium aliarum rerum, quæ tunc exstituræ sunt, absolutam haberet potestatem: at respectu fidelium nullo modo id fieri posse, vel hinc constat, quòd Deus pater non esset omnia in omnibus, quod tamen futurum & Paulus testatur, & perfectio salutis nostræ requirit.

Cur Christi potestas non sit futura absolutè æterna.

1. Cor: 15. 28.

Per Christum non esse absolutè omnia, trigesimi tertii erroris numero ponit Smiglecius: Sed ipsemet errat graviter, qui aliter sentiat. Nulla enim scriptura testatur, veterem creationem per aliquem fa-

ctam esse, ut unicuique, scripturam V. F. diligentiùs introspicienti, constabit, sed solus Deus, nempe pater, est qui omnia, quæ sunt, creavit. Vnde etiam in Symbolo, quod vocant, Apostolico, ad describendum Deum, in quem credimus, ista cœli & terræ creatio additur. Quo ita constituto, quis non videt, non omnia absolutè per Christum esse? Vetus creatio a solo Deo profecta est: Nova autem creatio, per Christum facta est, & sine Christo Deus nihil eorum, quæ ad illam pertinent, fecit. Vnde etiam, quod semel dicitur, per Christum esse omnia, iterum alibi dicitur, Deum per Christum omnia fecisse. Quod, si simpliciter & absolutè per Christum essent omnia, dici non posset, quemadmodum de Deo, etiamsi dicatur interdum, per eum omnia esse, nusquam dicitur, quòd aliquis alius per eum omnia fecerit. Cur per Christū non sint omnia absolutè.

Trigesimus quartus a Smiglecio nominatus error; *Christum in usu suæ potestatis, quam ut homo accepit, non dependére a Deo*, primùm figmentum est Smiglecii. Nec enim nos unquam loquimur, aut loqui possumus de Christi potestate, quam ut homo accepit. cùm aliam in Christo naturam, præter humanam, non agnoscamus. Deinde si eo modo id, quod res est, concipiatur, nempe Christum in usu suæ potestatis, quam a Patre accepit, non dependere ab illo, augustissimum est Christianæ religionis mysterium, & perfectissimæ omnibusque numeris absolutissimæ, datæ Christo, potestatis elogium. Quod quia non capit vel capere non vult Smiglecius, errorem appellat. Verum autem esse, quod affirmamus, inde constare dicimus, quòd Christus potestate sibi data ita utatur, ut pater neminem judicet, hoc est, regat & gubernet, & patri subjectus nunc non sit. Quorum illud disertè a Christo dictum est: hoc verò ex verbis Pauli, dum ait, Filium Patri subjectum iri, manifestè colligitur. Quod idem etiam exprimitur per sessionem Christi ad dexteram Dei. Hæc enim oratio videtur affirmare, Deum Christo in salute hominum procuranda, locum quodammodo honoratiorem ad tempus concessisse. Quod, quantumvis omnem rationem excedere videatur, ita tamen rationi est consentaneum, ut, si aliter se res haberet, vix homo sensatus & perspicax perfectam in Christo Iesu fiduciam collocare, & salutem, quam speramus, ab eo expectare posset, quam tamen in manu Christi sitam esse absolutè, copiosè testantur S. literæ. Ita scilicet opinio de potestate Christi, quam naturâ habere creditur, non permittit, ut agnoscatur, quàm magnificè & super omnem modum, ut Paulus ait, (ὑπερύψωσε) Deus Pater Christum exaltaverit. Et sanè si quid est, quod Smiglecium & omnes nostros adversarios ab ista præcipiti

Cur Christus in usu potestatis suæ a Deo non dependeat. Ioh: 5. 22. 1. Cor: 15. 28. Sessionis Christi ad dexteram vis. Phil: 2. 9.

in nobis

in nobis damnandis, & titulo Christianorum privandis præjudicio & temeraria levitate deterrere deberet, hoc est, quòd ipsorummet sententiâ, plus de potestate Christi sentire videmur, quàm res ipsa ferat, ut etiam Ostrovius Canonicus Cracoviensis in defensione concionis Petri Scargæ ea de causa me graviter reprehendit. Quomodo enim is Christo potestatem verè divinam invidere, quomodo ei detrahere, quomodo eum blasphemare jure dici potest, qui credit, Deum ad certum tempus cessisse suum imperium super homines, quod ad salutem eorum attinet, Iesu Christo? Et tenerentur omnes adversarii, si charitate & sana ratione omnia agere velint, potiùs nostrum errorem, si aliquis hîc esset, deplorare, quàm tantopere in nos debacchari. Quemadmodum nos, etiamsi pro certo habeamus, adversarios in extollendo Christo errare: tamen quia id, quod ei tribuunt, nimium esse credimus, eos ob id ipsum eum blasphemare nunquam dicimus. Blasphemia enim tunc verè locum habet, cùm id alicui denegatur, quod illi deberi planè constat.

Cur blasphemiæ in Christum accusari non debeamus.

Trigesimum quintum errorem facit Smiglecius: *Christum ante mortem summam in homines potestatem non habuiße.* Nos addidimus vocem *reipsa*, quam Smiglecius non sine dolo omisit. Hoc verò quomodo error esse potest, siquidem ei data esse dicitur, post resurrectionem, *omnis* potestas in cœlo & terra? Si tunc data vel potiùs certò destinata demum fuit Christo *omnis* potestas in terra, quomodo antea *omnem* vel summam in homines potestatem habuit? Et si post resurrectionem ante exaltationem data esse ideo dicitur omnis potestas, quia destinata esset, quãtò magis data ante mortem potestas omnis carnis, vel omnium rerum, de destinatione accipienda est?

Cur Christus ante mortem, summam in homines potestatem non habuerit.

Eodem modo trigesimus sextus etiam ex mente Smiglecii error, *Christum ante mortem caruisse potestate Spiritum S. largiendi, & vitam æternam hominibus dandi, & immortalitatem conferendi*, removendus est. Nam si hîc, quod ad prius attinet, erramus, ipse D. Ioannes nos in eum errorem induxit. Sic enim ait: *Nondum erat Spiritus S. quia Iesus nondum erat glorificatus*, & D. Petrus, qui ait, *Dexterâ Dei exaltatus, & promissione a Patre acceptâ, effudit quod videtis & auditis.* Notandum autem est, nos unà cum Ioanne loqui de spiritu, quem accepturi erant credentes in Christum, hoc est, de arrhabone illo & pignore nostræ hæreditatis, ut scilicet appareat, spiritum alium dari potuisse a Christo ante mortem & resurrectionem. Vitam verò æternam & immortalitatem dandi ac conferendi, nempe reipsa, potestatem Christum habuisse ante mortem, quomodo dici, & contrarium pro errore jure censeri potest, siquidem Christus ipse nondum

Qualis spiritus ante Christi glorificationem datus non sit.

nondum vitam æternam & immortalitatem habuit? Nemo autem id dare alteri possit, quod ipsemet non habet ullo modo. Cujus rationis ea vis est, ut nec a Smiglecio, nec ab ullo alio loco moveri possit, ut ex responsione ad eam apparet, de qua aliàs, Deo dante.

Ejusdem prorsus momenti est trigesimus septimus numero error, ex mente Smiglecii, *Christum ante mortem non potuiße homines imperio Diaboli eximere & à morte liberare, cùm ipse mortalis esset.* Nam quid aliud est, non posse vitam æternam dare vel immortalitatem conferre, quàm non posse imperio Diaboli eximere & a morte liberare? Sed hoc misso, quomodo stante illa ratione, quam modò adduximus, Christus reipsa (sic enim semper loquimur) homines imperio Diaboli eximere, & a morte liberare potuit ante mortem? Promittere illa, viam ad ista consequenda ostendere, & eandem confirmare potuit: at dare reipsa non nisi immortalis & perfectus redditus, potuit. Perfectus enim factus extitit causa salutis omnibus, qui ipsi obediunt.

Trigesimum octavum errorem facit Smiglecius, *Christum ante mortem nullam in cœlo potestatem habuiße, nec Angelis quicquam præcipere potuiße.* At hæc ipsissima veritas est. Nec enim frustra Christus dixit, cùm in terra degeret, se habere potestatem peccata remittendi in terra, ut scilicet constaret, eum tunc peccata remittendi in cælis potestatem habuisse nullam; Nec frustra etiam dicitur, Spiritũ S. nondum datum fuisse, quia Christus nondum esset glorificatus; nec frustra deniq; post resurrectionem dicit ipse Christus, *Data est mihi omnis potestas in cælo.* Si porrò Angelis præcipere potuit Christus, quomodo dicere potuit, se orando, a Patre legiones Angelorum consequi potuisse? Nec enim opus est orare ei, qui aliquid potest præcipere.

Luc. 5. 24.

Matth. 26. 53.

Quem porrò trigesimum nonum errorem facit Smiglecius, *potestatem judicandi non fuiße datam Christo ante resurrectionem*, si vox *judicandi*, accipiatur, ut res est, pro gubernandi & regendi, magna veritatis pars est. Hanc enim judicandi potestatem Christus inter opera majora, vel potiùs pro majoribus illis operibus, quæ illi Pater demonstraturus erat, collocat. Majora autem illa opera Christo a Patre priùs demonstrata non fuerunt, quàm potestatem vivificandi, quem vellet, consecutus est. Hanc porrò priùs consecutus non est, quàm post exaltationem suam. Vivificare enim, est, immortalem reddere. Vnde etiam a resuscitatione distinguitur, ibidem, dum dicitur, *Sicut Pater mortuos resuscitat & vivificat*, ut etiam alibi dicitur, *Christum & resurrexiße & revixiße*, ut scilicet per resurrectionem simplex vitæ restitutio, per vivificationem verò modus restitutionis, quem conse-

Ioh. 5. 20.

Quomodo differunt Resuscitare & vivificare.
Rom. 14. 9.

consequatur immortalitas, designetur. Hoc porrò Christum antea præstare non potuisse, jam antea demonstratum est eo, quòd ipsemet ut a Deo vivificaretur, opus habuerit.

Christus rex perfectus post resurrectionem.

Christum ante resurrectionem designatione Regem fuiße, (qui est quadragesimus a Smiglecio enumeratus error), quomodo in dubium vocari potest, cùm & sacræ literæ & ipsa res id comprobent? Nonné enim disertè dicitur, quòd Deus Iesum, quem Iudæi crucifixerunt, Christum fecerit? Nonné ad regem re ipsa constituendum regnum requiritur? Fuitné Rex reipsa David, antequam in solio suo sederet, etiamsi septennio ante rex unctus esset? Cum igitur Christus regnum re ipsa nullum habuerit, sed designatum ei fuerit, quis non videt, eum designatione tantùm Regem ante mortem fuisse?

Errorem quadragesimum primum talem adscripsit Smiglecius, *Christum totâ vitâ suâ imperfectam sapientiam habuiße, multaq; verè ignorasse.* Sed hîc duplex cavillus, ne dicam calumnia est. Primùm enim nusquam dicimus, Christum totâ vitâ suâ imperfectam sapientiam habuisse, cùm agnoscamus, eum omnia scivisse, quæcunq; ad Christum constituendum, & salutem nostram procurandam pertinebant. Deinde nec illud dicimus, Christum multa verè ignoravisse, cùm nec sacra scriptura multorum ignorantiam Christo tribuat: sed disertè dicimus, Christum *aliquid* ignorasse, cùm in terris ageret, quod scilicet ad munus eius Propheticum, quod tunc administrabat, non pertinebat.

Christum verò *verè & absolutè ignoravisse diem judicii*, quod quadragesimus primus (bis repetitus) error Smiglecio est, constanter quidē asserimus: Sed nisi scriptura erret, erroris loco id haberi non potest. Sunt enim hæc ipsius Christi verba disertissimè expressa: *De die autem illa & hora nemo scit, neq; angeli qui in cœlo (sunt), neq; filius, nisi pater*, vel ut alter Apostolus habet: *De die autem illa & hora nemo scit, neq; angeli cœlorum, nisi pater meus solus.* Et hoc non tali modo loquendi a Christo dictum fuisse, qualem fingit Smiglecius, quemadmodum qui importunè interrogantur, curiosos retundere solent, & se id nescire ajunt, quod optimè norunt, vel hinc constat, quòd Christus prolixè de adventu disserens, & multis eum tum antecedentibus, tum concomitantibus, enumeratis, datâ operâ id addidisse videtur, tanquam aliquid ad totam illam rem bene intelligendam inprimis pertinens. Adde quòd si sibi etiam scientiam istam competere vel leviter innuere voluisset, nec seipsum eis, qui diem illum nesciunt, annumerasset, nec filium se appellasset neq; ... niq; solum suum Patrem, qui illum sciat, nominasset, ut

Marc 13.32.
Matth: 24. 36.

Cur Christus diem judicii ignorare dici debeat.

credi posset, Filium hac in re cum Patre unum esse. Quia verò se ipsum disertè, & se ipsum, quantus tunc fuit, (Filii enim ita simpliciter prolati appellatione totus Christus, ex mente etiam adversariorum, intelligitur) nominavit, & Patrem suum *solum* istud scire dixit, verissimum censeri debet, nulla tunc ratione Christo scientiam istius rei competiisse. Porrò, si Christus respectu divinæ naturæ illud scivisset, nullo modo de se simpliciter dicere potuisset, quòd illud nescierit, etiamsi respectu humanæ naturæ verè illud nescivisset. Quemadmodum etiam id, quod de homine respectu animæ verè dici potest, nunquam de homine simpliciter negari potest, etiamsi respectu corporis de eo dici non possit. Nemo enim est, qui hominem meditari posse neget, quia corpus ejus non meditetur. Libet autem hîc asscribere sententiam Irenæi antiquissimi Doctoris, qui sic ait: *Et Domin⁹ ipse Filius Dei, ipsum judicii diem & horam concessit scire solum Patrem, manifestè dicens: De die autem, &c. Si igitur scientiam diei illius, Filius non erubuit referre ad Patrem, sed dicit, quod verum est; neque nos erubescimus, quæ sunt in quæstionibus majora secundùm nos, reservare Deo. Nemo enim super magistrum est,* Hactenus Irenæus. lib: 2. cap: 48.

Errorem quadragesimum secundum facit Smiglecius: *Christum non omnium hominum providentiam habere.* Sed & hîc insignis est calumnia. Ego enim ita loquor: *Christi providentiam, propriè loquendo, ad neminem spectare, nisi qui ejus sit.* Primùm omisit verba, *propriè loquendo*, Smiglecius. Hæc verò indicant, suo modo Christi providentiam ad omnes homines pertinere. Deinde loco ejus, quod ego dico, Christi providentiam ad neminem spectare, nisi qui ejus sit, reponit, Christum non omnium hominum providentiam habere. Quæ temeritas (ne quid dicam gravius) a viro Theologo & candido abesse debet quàm longissimè, præsertim tunc, cùm errorem alicui impingit. Sed hoc est Smiglecii unum artificium, cujus exempla occurrunt plurima in ejus scriptis, ut ante a nobis indicatum est, & iterum deinceps indicabitur. Sensus autem verborum meorum est: Christum curam sui tantùm populi, propriè loquendo, gerere, ut etiam sacræ literæ testantur, eum corporis (sui) servatorem esse, Ecclesiam suam nutrire & fovere. Iungitur enim ibidem in verbis meis, ista providētia cum promissis, quæ Christus Ecclesiæ suæ dedit. Quemadmodum igitur hęc non nisi ad eos pertinēt, qui Christo obediunt, sic etiam illam ad eos tantùm pertinere dixi. Quo sensu dicatur, Christum nō omnium hominū providentiam habere. Eph: 5: 23, 29.

Quadragesimus tertius error Smiglecio est: *Christum non solùm permittere sed etiam procurare posse, ut homines in gravissimos erro*

Quatenus Christus procuret, ut homines in peccata ruant.

ruant. Hoc iterum dolosè recensetur. Non enim de hominibus, quatenus homines sunt, vel etiam quatenus simpliciter impii sunt, id dicimus: sed de hominibus, qui ita impii sunt, ut resipiscere, moniti a Deo & Christo, nolint, ut verba nostra expressè affirmant. Iam verò, si tales sint homines culpâ suâ, Deum vel Christum non tantùm permittere, verùm etiam procurare posse, ut in multa scelera ruant, qui negat, is ignorantiæ crassæ accusandus est. Hoc enim iisdem verbis testatur sacra scriptura, dum dicit, Deum eos, qui non probaverunt Deum habere in notitia, *tradere* in reprobum sensum; & eis, qui charitatem veritatis non receperant, ut serventur, propterea *mittere* operationem erroris, ut credant mendacio. Voces enim *tradendi* & *mittendi*, omnino postulant, ut Deus id procuret. Et hic est modus peccata puniendi gravissimus, quo licet raro Deus uti soleat, uti tamen solet interdum. Hoc etiam modo (ut exemplis specialibus res declaretur) Deus procuravit, ut Pharao, qui jam pridem supplicia divina meritus erat, indies in majora incideret flagitia, & populum non dimitteret, ut ita suam in eo exerendi potestatem, tantò ampliorem haberet Deus occasionem. Hoc modo Iudas proditor, qui antea culpâ suâ dignus erat irâ Dei, ad Christum prodendum ab ipso adhibitus fuit.

Rom. 1, 28.

2. Thess. 2. 10, 17.

Quadragesimum quartum errorem talem facit Smiglecius: *Christum ante resurrectionem, divinitatem verè reipsa habuiße, nullo modo probari potest.* Hæc iterum calumnia Smiglecii est. Vt enim fatemur, Christum a Ioanne verè & reipsa Deum appellatum esse, cùm dicit, *& Deus erat Sermo:* ita etiam divinitatem eum verè & reipsa habuisse non possumus non confiteri, & ita, ut quis illud probet, nunquam flagitamus. Quod verò probari nullo modo posse dicimus, est, quòd Christus ante resurrectionem perfectam divinitatem habuerit. Hoc autem antea aliquoties objectum a Smiglecio fuerat, ideoque pro novo errore objici non debuit, nisi numeri fortasse habenda fuisset ratio. Miror autem, quid lateat in eo sapientiæ, quòd Smiglecius ita inverso ordine errores commemoret. Nam quæ in primo capite refutationis nostræ habentur, ea illis postponit interdum, quæ in secundæ partis fine habentur. Sed ad errores revertor.

Error quadragesimus quintus Smiglecio est: *Christum ante resurrectionem non fuisse Deum Angelorum.* Hoc primùm, quid differt ab illo, quod suprà etiam pro errore allegatum fuit, Christum ante [illegible]ortem Angelis nihil præcipere potuisse? Deinde quomodo pro [illegible]censendum est, siquidem Christus eorum custodia vel pro- [illegible]confortatione opus habuit, & orando Patrem legiones illorum

illorum se consequi potuisse affirmat? Num Deus Angelorum, custodia & confortatione illorum egere potest? Num alium quem orare necesse habet is, qui Angelorum Deus est?

Error quadragesimus sextus Smiglecio est, *Christum ante resurrectionem non fuiße Dominum Angelorum.* Hîc iterum observa, quid differat, præsertim ex mente nostra, qui Christum creatorem Angelorum esse negamus, negare, Christum fuisse Deum Angelorum, & negare, eum esse eorundem Dominum. Totum hoc numeri centenarii retinendi studium effecit. Nihil verò in ea negatione erroris esse, idem argumentum, quo modò utebamur, ostendit. Quid enim opus habuisset orare alium, ut Angelos sibi mitteret, qui ipse Angelorum Dominus est? Nonné etiam contraria sunt, Angelorum esse Dominum, & ab Angelis minoratum? Hoc autem de Christo ante resurrectionem disertè affirmat sacra scriptura. Heb. 2. 7.

Errorem quadragesimum septimum facit Smiglecius, *Neque Dæmonum.* Sed hic error nullus est. Si enim *per mortem*, ut ait sacra scriptura, *Iesus abolevit eum, qui mortis habebat imperium, hoc est diabolum*, quomodo ante mortem Dominus Diaboli esse reipsa potuit? Si Christus paulò ante mortem dixit, *Nunc princeps hujus mundi ejicitur foras*, quomodo ante ejectus fuisse dici potest, nempe a Christo? Imò si Christus ab ipso Diabolo operâ hominum peccatorum vitâ privatus fuit, quomodo Dominus ejus fuisse tum temporis dici potuit? Heb. 2. 14.

Cur Christus Dominus Dæmonū ante mortem non fuerit.

Error quadragesimus octavus Smiglecio est, *Neque omnium hominum, sed aliquorum tantùm.* Et hîc quid erroris esse potest, si consideretur, Christum eatenus hominum omnium reipsa esse Dominum, quatenus potestatem habet illis imperandi, vel etiam eos ad Deū reipsa adducendi. Iam verò quis nescit, Christū dixisse, se non missum esse, tunc scilicet, cùm in terris degeret, nisi ad oves perditas Israëlis? Vnde constat, non licuisse illi tunc gentes extraneas adire, & eis ministrare, sed solis Iudæis. qua de causa etiam minister circumcisionis appellatur. Destinata quidem erat potestas Christo in omnes homines: sed non nisi post ejus exaltationem, cùm scilicet illud impletum est: *Postula à me, & dabo tibi gentes in hæreditatem tuam.*

Cur Christus omnium hominum Dominus ante mortem non fuerit ipsa.

Errorem quadragesimum nonum talem facit Smiglecius: *Verbum nō eße carnem factum, & oppositum dicere errorem esse.* Hoc verò nos constanter asserimus. Nam cùm verba Ioannis græca, ϰὶ ὁ λόγ☉ σὰρξ ἐγένετο, ita converti possint, *& Sermo ille caro fuit*, parumné liquet, falsum esse dogma, quòd sermo sit caro factus, quod

Cur credi non debeat, Verbum esse carnem factum.

sola hac oratione Ioannis nititur. Præterea absurdum prorsus est dicere, verbum factum fuisse carnem. Nam si verbum, Iesum Christum, & ante vel præter eum neminem alium significet, ut nos unà cum D. Ioanne sentimus, dici non potest, eum carnem fuisse factum. cùm semper caro, & nunquam sine ea fuerit: Si verò per verbum intelligatur ille Dei filius, qui idem Deus est qui Pater, ut vult Smiglecius, multò minùs dici potest, eum carnem esse factum. Quando enim aliquid id fit, quod antea non erat, tunc illud, quod antea erat, esse desinit. Vt cum dicitur: Aquam factam esse vinum. Quis verò eum ferret, qui filium Dei id esse desiisse, dicere ausit, quod antea fuit, (si Deus fuisset) & hominem deinceps factum esse? Equidem, etiamsi alicubi disertè scriptum esset, Deum esse hominem factum, satiùs esse crederem, aliquam figuram, ad istum loquendi modum intelligendum, adhibere potiùs, quàm permittere, ut propriè id ita accipiatur. Quales figuras Theologi in aliis rebus, quæ hac multò sunt tolerabiliores & possibiliores, cum de Deo prædicantur, confinxerunt, ut cùm dicitur Deus irasci, dolere, & similia: Tantum abest, ut verum dogma istud censeri debeat, quod nec ῥητῶς in S. literis habetur uspiam, nec ex illis ulla legitima consecutione deduci potest, quorum tamen alterutrum, si dogma istud vel ad salutem necessarium, vel ad eandem utile esset, prorsus requireretur.

Errorem quinquagesimum constituit Smiglecius hunc: *Christum a sua nativitate non fuisse plenum & gratia & veritate.* Et hæc ipsissima veritas est. Quomodo enim crescere in sapientia & gratia apud Deum potuisset? quid doceri a Patre, quid Spiritu S. visibili modo donari opus habuisset, si ab ipsa nativitate plenus gratia & veritate fuisset? Præterea Iohannes de eo, qui inter ipsos nempe Apostolos habitavit, & cujus ipsi gloriam quasi unigeniti a Patre contemplati fuerant, ait, eum plenum fuisse gratia & veritate. At non a nativitate illius, gloriam illius viderunt, nec videre potuerunt, partim, quòd fortassis tunc non omnes Apostoli nati, vel saltem pueri adhuc essent, partim, quòd talis & tanta Christi gloria tunc nemini prorsus apparuit. Hinc D. Petrus ait, Deum, Iesum Nazarenum non infantem, sed virum approbasse virtutibus & prodigiis & signis.

Cur Christus a nativitate sua nō fuerit plenus gratia & veritate.

Act. 2. 22.

Errorem quinquagesimum primum talem facit Smiglecius, *Errorem circa Christi essentiam non tollere, sed obscurare fidem in Christum.* Verba mea sic habent: Error circa essentiam Christi *per se & natura sua* non tollit fidem in Christum, sed eam *vehementer* obscurat

ſcurat & *mirificè* intricat. Vnde conſtat me ſentire, per accidens iſtum errorem fidem in Chriſtum tollere poſſe, ideoque Smiglecium non debuiſſe id ſimpliciter mihi affingere, quod ego ſecundùm quid affirmo. Hoc enim eſt cavillari & calumniari. Ita porrò rem ſe habere, ut ego affirmo, vel inde conſtat, quòd ad fidem in Chriſtum collocandam ſatis ſit, credere eum eſſe, & eſſe remuneratorem eorum, qui ipſum quærunt. Hoc enim & ad fidem in Deum collocandam ſatis eſt, teſte autore Epiſtolæ ad Hebræos. Vtrumque autem hoc credi poſſe, etiamſi quis circa eſſentiam Chriſti erret, nemo ſapiens non intelligit. Quod ſi intelligeret etiam Smiglecius, ceſſaret ita nos perſequi, ut Chriſtiano nomine nos indignos eſſe pertinaciter pronunciare non dubitet. Agnoſcerent etiam alii, non ita involandum eſſe in conſcientias & vitam eorum, qui hac in re diverſum ſentiunt. Quòd a cœtibus noſtris hactenus omnibus proponitur, cur verò non recipiatur, cauſa nulla affertur idonea. Sed ne quis ſanctiſſimam hanc Chriſtianæ religionis particulam, de cognitione eſſentiæ Chriſti, quam nos ſequimur, flocci pendat, fidem in Chriſtum vehementer obſcurari & mirificè intricari, per errorem circa Chriſti eſſentiam, conſtanter addimus. Quomodo enim is, qui credit Ieſum, quantumvis homo in S. literis appelletur, nec perſonam humanam, nec perfectum hominem eſſe, in hominem Ieſum Chriſtum credere poteſt, propriè loquendo, quod abſolutè requirit S. Scriptura? Certè ipſimet adverſarii fateri coguntur, Filio hominis fidem deberi per modum loquendi, communicationem ſcilicet Idiomatum, quia proprietates perſonæ divinæ ſint communicatæ cum iſta humana, quam vocant, natura, & propter iſtam communicationem idem deberi iſti humanæ naturæ, quod perſonæ debetur filii Dei, & nos, qui in Chriſtum abſque iſta figura, credim⁹, Idololatras appellare non verentur. Quod verò dogma per figuram & loquendi modum in Chriſtum credere jubet, id, an fidem in Chriſtum vel Filium hominis obſcuret & intricet, omnibus piis penſitandum relinquimus. Equidem hanc potiſſimam cauſam eſſe judico, quare, rejectâ divinâ Chriſti perſonâ & naturâ acquieſcendum ſit in perſona Chriſti humana, quæ divinitate tanta a Deo donata eſt, ut fides in eam collocari jure poſſit, &, qui ei confidit, non confundatur.

Cur ſententia de eſſentia Chriſti fidem in eum non tollat.

Heb: 11, 6.

Cur ſententia vera de Chriſti eſſentia magni facienda.

Errorem quinquageſimum ſecundum talem facit Smiglecius, *Chriſtum formam ſervi, id eſt, mancipii aſſumſiſſe.* At hoc quid dici poteſt verius? Quis enim neſcit, ſervum in S. literis ſignificare mancipiū, hoc eſt, hominem abjectum & vilem? Quanquam non aſſumſiſſe eum ſed accepiſſe cum Paulo dicimus.

Error quinquagesimus tertius Smiglecio talis est: *Christum formam Dei amisisse, & æqualitatem cum Deo deposuisse.* Et hoc similiter verius nihil esse potest, si addantur verba, *ad tempus*, & verbum *deposuisse* ita accipiatur, ut significet, Christum ita se gessisse, & sese talem prætulisse, acsi planè nullam cum Deo æqualitatem haberet. Vnde etiam, cùm de ista depositione loquimur, plærumque aliquid tale addimus, quod eam determinet, nempe suo modo eum deposuisse æqualitatem cum Deo. Voce autem *amittendi* nos non utimur, sed Smiglecius est, qui sic libenter nos cavillatur.

Quo sensu dicatur, Christum æqualitatem cum Deo deposuisse.

Errorem quinquagesimum quartum constituit talem Smiglecius, *Christum totâ vitâ suâ non esse dignum sedere ad dexteram Dei.* Hoc nos iisdem verbis nunquam diximus: sed cavillator Smiglecius exosos nos ista oratione facere conatur. Dicimus, Christum non sedisse ad dexteram Dei ab ipsa sua nativitate, ut vult Smiglecius: Smiglecius verò, ut hoc telum declinet, ait, eum, licet non sederit, tamen dignum fuisse qui sederet. Nos hujus modi locutionem insolentem, & Scripturæ S. incognitam esse affirmamus. Hæc enim, cùm Christum, ob obedientiam Deo præstandam & præstitam, ad dexteram Dei sedere debuisse testetur, satis apertè indicat, fieri nullo modo potuisse, decreto Dei sic ferente, ut antea ad dexteram Dei sederet, quàm Deo obediret. Iam si illud fieri nullo modo potuit, quid est aliud, dicere, Christum dignum eo fuisse, quàm divino decreto & voluntati contradicere, & vias Domini pervertere?

Cur Christus ad dexterā Dei sedisse totâ vitâ suâ dici nequeat.

Error apud Smiglecium quinquagesimus quintus est, *Christum in morte desiisse esse filium Dei.* Et hoc, si sobria accedat interpretatio, vel recta consideratio, non potest non esse verum, nisi negetur, Filium Dei verè & propriè mortuum esse. Mori enim & desinere esse, idem sunt. Iam si Christus filius Dei in morte esse non desiit, quomodo eum Deus ex mortuis resuscitasse vel eduxisse, vel denique genuisse dici potest? Nam quod est re ipsa, & esse non desinit, id nec ex mortuis resuscitari, nec gigni necesse est.

Quomodo dici possit, Christum in morte desiisse Dei filium esse.

Error Smiglecio quinquagesimus sextus est, *Christum in cruce non fuisse Dominum gloriæ.* Primùm id nusquam dicimus: Sed tantùm necessarium esse negamus, quia Paulus dicit, *si cognovissent, Dominum gloriæ non crucifixissent,* Paulum de Christo loqui, quatenus crucifixus fuit. Posse enim Christum gloriæ dominum a Paulo appellari [illegible] spectu ejus temporis, quo Paulus ista de Christo scripsit, cùm sci[illegible]t esset jam Dominus gloriæ. Deinde etiam concedimus, Christum [illegible] Dominum gloriæ appellari potuisse, quia scilicet Dominus [illegible] post infallibiliter futurus esset. Itaque nos dupliciter

[illegible]nsu Chri-[illegible]

Smigle-

Smiglecius suo more cavillatur & calumniatur. Nunc addo, Christum Dominum gloriæ, tunc etiam appellari potuisse. Quia bonam partem ejus gloriæ, quam nunc habet, tunc reipsa possidebat.

Errorem adducit Smiglecius quinquagesimum septimum, *Christum non esse verè & propriè Sacerdotem, sed metaphoricè & impropriè*. Sed iterum calumniatur. Nec enim Christum verè sacerdotem esse unquam negamus. Et certè verba, quæ opponit vocibus *verè* & *propriè*, nempe metaphoricè & impropriè, calumniæ Smiglecium c[illegible]cere, possunt. Non opponuntur enim *metaphoricè* & *impropriè* vero. Nam & id, quod metaphoricè & impropriè aliquid est, verè aliquid est. Præterea longè ista differunt, impropriè appellari sacerdotem, & improprium esse sacerdotem. Nam & Deus appellatur impropriè redemtor, & tamen proprius est redemtor.

Christus impropriè appellatus sacerdos, verus est sacerdos.

Psal: 18. ℣ 16.
Esa; 41. ℣ 14.

Error, quem Smiglecius quinquagesimum octavum numerat, *Christum non obtulisse verum sacrificium sed metaphoricum*, nonné primùm ex præcedente pendet? Nam si Christus impropriè vel metaphoricè sacerdos appellatur, certum est, ejus etiam sacrificium appellari metaphoricum. Sed numero centenario indulgendum fuit. Deinde calumnia eadem est, in hoc, quæ in præcedente fuit annotata. Nusquam enim dicimus, Christum non obtulisse verum sacrificium. Verum sacrificium Christus obtulit, sed illud sacrificium verum, describi dicimus vocibus impropriis & allegoricis.

Errorem & hoc appellat quinquagesimum nonum, *Dicere, Christum in cæna sacrificium obtulisse, esse extremam amentiam*, quod est ipsissima veritas. Nam si ad sacrificii oblationem requiritur ingressus in sancta sanctorum, ut testantur s. literæ, quomodo Christus, qui nedum, ut tunc, cùm cænam institueret, cælum ingressus fuerit, sed nec mortuus fuerat, quæ mors præparatio tantùm ad sacrificium erat, sacrificium tunc, cùm mortis futuræ repræsentationem tantùm quandam exhiberet Apostolis, obtulisse dici ullo modo potest?

Cur Christus in cæna sacrificium non obtulerit.

Similis præcedentibus error est sexagesimus, *Quæ Paulus de sacrificio Christi docet, impropriè & figuratè accipienda esse*. Nihil enim reipsa differt ab illis. Non rectè autem exprimitur nostra mens in verbis a Smiglecio positis. Videntur enim indicare, quasi non sit proprium aliquid, quod per sacrificium Christi in epistola ad Hebræos describitur, cùm tamen res longè aliter se habeat. Id enim, quod voces sacrificii & oblationis, interpellationis, & alia his similia notant, res propria est: nempe Christi apud Patrem perpetua præsentia, conjucta cum divina illius potentia & cura salutis nostræ. Ea autem, vocibus & phrasibus allegoricis, ex lege Mosaica translatis, describitur

Quid s

quemadmodum ſacerdos legalis, ſacrificia Deo offerendo, coram Deo apparendo, & pro populo verè orando, peccata illorum, quæ vi veteris Fœderis remitti poterant, divina benignitate accedente expiabat: ſic quia Chriſtus præſentiâ ſuâ apud Patrem & potentiâ ſuâ peccata noſtra omnia expiat, pro nobis ſeipſum offerre, coram Deo apparere, & apud illum interpellare impropriè dicitur. Oblatio enim & interpellatio propriè accepta, pugnant cum divina potentia. Quâ quia carebat Pontifex legalis, ideo, propriè loquendo, offereb[illegible] in- terpellabat.

Eódem pertinet & illud, quod pro ſexageſimo primo errore allegat Smiglecius: *Chriſtum in cruce ſeipſum non ſacrificaſſe, nec obtuliſſe Deo pro nobis.* Nam ſi ſacrificium novi Fœderis perfici non poteſt, niſi in cælo, ut in veteri Fœdere ante ingreſſum in ſancta ſanctorum perfici ſacrificium non poterat, quis non videt, Chriſtum ſeipſum nec ſacrificare, nec offerre Deo pro nobis potuiſſe in cruce? Chriſti mors, quam in cruce pertulit, præparatio fuit ad ſacrificium, non ipſum ſacrificium, ut etiam ſub veteri Fœdere mactatio pecudis præparatio ad ſacrificium legale fuit, non ipſum ſacrificium.

Cur Chriſti ſacrificium nō in cruce peractum.

Errorem & hoc ſexageſimum ſecundum appellat: *Falſum eſse, Chriſtum in terris purgationem peccatorum feciſse.* Sed quomodo priùs Chriſtus peccata expiare potuit, quàm Pontifex factus eſt? Pontifex autem, ingrediens in cælum, factus eſt. Et etiamſi facta purgatione peccatorum, conſederit Chriſtus in throno majeſtatis: tamen non eſt ſtatuendum, iſtud priùs factum eſſe, quàm hoc. Ita enim iſtiusmodi aoriſti græci, ποιησάμενος καθαρισμὸν τῶν ἁμαρτιῶν, ἐκάθισεν, reſolvi poſſunt & debent: Fecit peccatorum purgationem, & conſedit, &c. ut utrumque ſimul factum eſſe cenſeatur. Quomodo dicitur: Chriſtus reſpondens, vel cùm reſpondiſſet (eſt enim in Græco plærumque ἀποκριθεὶς) dixit: Petrus percuſſo ſervo, abſcidit ejus auriculam: Diſcipuli fune ſubmiſſum Paulum in ſporta, demiſerunt per murum: Ieſus introivit in cælum pro nobis, ſecundùm ordinem Melchiſedeci factus ſacerdos in æternum. Vbi licet duo dici videantur, tamen utrumque ſimul & ſemel factum eſſe, nemo non agnoſcit.

Seſſio Chriſti ad dexteram Dei & purgatio peccatorum ſimul facta eſt.

Matth: 3. 15. c. 4. 4. Matth: 26. 51. Act: 9. 25. Heb: 6. 20.

Ex quo intelligendum & illud eſt, quod pro ſexageſimo tertio errore habet Smiglecius, *Chriſtum in cælis primùm factum eſſe Ponti[illegible]em, & ibi ſacrificium ſuum primùm obtuliſſe.* Hoc enim ita verum [illegible] nihil verius, dummodo intelligatur, quid ſit ſacerdotem eſſe & [illegible] offerre. Pontificem eſſe & ſacrificium offerre, eſt, ea per[illegible] [illegible]piandum peccata populi pertinent. Hoc quia Chri[illegible] [illegible]uàm in cælos ingreſſus fuit. Ad expiandū enim [illegible]citur potiſsimùm potentia auferendi rea-

[illegible]tum peccati, qui est mors æterna. Hanc verò rursus Christus non habuit, antequam ipsemet immortalis per ingressum in cælum fieret; hinc patet, Christum nec Pontificem factum esse, nec sacrificium obtulisse, priusquam in cælum ingrederetur, hoc est immortalis fieret, & divinam potestatem consequeretur. Qua in re dissimilis est Christus noster Pontifex legali pontifici. Is enim antea Pontifex erat, quàm in sancta ingrederetur. Nec mirum. Tunc enim sacrificium & sac[illegible]rant diversa. Nunc verò Christus idem & sacerdos est & sacr[illegible]. Nam non aliena sacrificia sed seipsum Deo offert, hoc est, per [illegible]petuam suam apud Deum præsentiam & divinam potestatem efficit, ut omnes peccatorum pœnæ & ipsa mors æterna remittantur, vel, ut autor idem loquitur, causa salutis extitit omnibus qui ipsi obediunt. Differentia pontificis legalis & Christi.

Rursus errorem sexagesimum quartum constituit Smiglecius, *In Christi sacrificio nullum locum esse voluntati Christi, sed tantùm Patris.* Sed calumniatur Smiglecius. Nam verba mea sic habent: In sacrificio Christi nullus, *propriè loquendo*, locus est voluntati illius (Christi) ut in aliis actionibus. Sacrificium enim Christi, Dei voluntati potiùs tribuendum est, qui Christum salutis nostræ causâ ita extollere voluit. Audin' benevole lector, quantum differant mea verba a Smiglecii verbis. Idque tantò rectiùs intelliges, si occasionem, quæ ista scribere me coëgit, expendas. Explicaturus Smiglecius verba Heb: 10. 5. quæ sunt: *ideo ingrediens in mundum dicit: Sacrificium & oblationem noluisti* &c. dicit, Christum primùm voluntate seipsum obtulisse, nempe post nativitatem, deinde re ipsa se sacrificasse, in morte scilicet. Ego id falsum esse doceo, tum eo, quòd verba talem explicationem non patiantur. Ait enim: *Ingrediens in mundum, dixit* &c. Vnde constat, istam oblationem cum ipso ingressu de quo ibi sermo est, fuisse conjunctam: tum eo, quòd in sacrificio Christi non sit locus, propriè loquendo, voluntati Christi, hoc est, quod non potuerit Christus primùm velle fieri pontifex, & deinde factus sit, ut in aliis actionib[9] fieri potest, in quibus quis primùm decernit se id facturum, postea demum facit. Nam illud, quod Christi sacrificium constituit, nempe ejus in cœlum exaltatio, perpetua ibidem præsentia, & cura nostri, ita fuit comparatum, ut non a Christi voluntate penderet, sed a Dei voluntate & gratia. Nam non semet ipsum Christus glorificavit, ut fieret Pontifex, sed qui eidem dixit: *Tu es sacerdos secundum ordin[em] Melchisedech.* Hinc verò nullo modo sequitur, Christum, posteaqu[am] nunc Dei voluntate factus est pontifex, non uti suo arbitrio & lib[era] voluntate, quod nobis objicere videtur Smiglecius. Differun[t] Quo sensu dicatur Christi sacrificium potiùs ex Dei quàm Christi voluntate pendere. Heb: 5.

ſacrificii adeptio & adminiſtratio. Illa Dei voluntati tota accepta referenda eſt: hæc Chriſti etiam voluntatem requirit.

Liberatio vera voce impropria deſcribitur.

Errorem ſexageſimum quintum facit Smiglecius, *Chriſtum non verè nos redemiſſe.* Vbi iterum magna ineſt calumnia. Credimus enim, Chriſtum verè nos liberaſſe ſang[…]e ſuo, tum a peccatis ipſis, tum a peccatorum pœnis: Sed liberationem illam veram dicimus vocabulo improprio, nempe redemtionis, deſcribi. Quia ſcilicet in iſta noſtri liberatione nemini quicquam pro nobis ſolutum […]od ad propriè acceptam redemtio[…] […]uiritur. Ho[…] etiam liberatio populi Dei ex Æg[…]to redemtio appellatur, non quòd Deus verè populum ſuum non liberaverit; ſed quia nemini quicquam pro populo ſuo dederit.

Cur Chriſtus nō ſit pontifex ſecūdùm ordinē Melchiſedeci, quoad ritū ſacrificandi.

Error Smiglecio ſexageſimus ſextus eſt, *Chriſtum non eſſe ſacerdotem ſecundùm ordinem Melchiſedech, quoad ritum ſacrificandi.* Hoc verò nos ideo veriſſimum eſſe arbitramur, quòd autor Epiſtolæ ad Hebræos prolixè rem iſtam perſequens, in quonám ſcilicet aſſimilatus ſit Dei filio Melchiſedech, ritus ſacrificandi nullam prorſus facit mentionem. Quin illo omiſſo alia recenſet & explicat, quæ ab hoc ſunt longè diverſa. Nempe, quemadmodum Melchiſedech ſine patre & matre, & ſine genealogia fuit, quoad ſacrificium, hoc eſt, nec deceſſorem nec ſucceſſorem in munere ſuo habuit: ita etiam, quia Chriſtus in munere ſuo ſacerdotali nec deceſſorem habuit (natus enim eſt ex tribu Iuda, de qua nihil Moſes quoad ſacerdotium teſtatur) nec ſucceſſorem habiturus eſt. ipſe enim populum ſuum ad ſummam adducit beatitatem, & nemo poſt illum populi divini ſervator futurus eſt, ſine patre & ſine matre, & ſecundùm ordinem Melchiſedeci pontifex appellatur. Quod Smiglecium repudiare non eſt mirum. Non poteſt enim non videre, ſi hoc obtineat, magnam ſuæ religionis Pontificiæ partem corruituram.

Pro errore ſexageſimo ſeptimo hoc ponit Smiglecius, *Chriſtum paſſione ſua & morte non meruiſſe ſuam exaltationem.* Sed iterum non ſine dolo. Omiſit enim vocem *propriè*, quam ego ad marginem disertè addidi. Et certè, propriè loquendo, nullus eſt apud Deum locus merito. Vbi enim eſt meritum, propriè loquendo, ibi debitum eſt ex parte Dei. Deus autem non ex debito dedit Chriſto [e]xaltationem: ſed gratis dedit vel donavit, teſte Paulo, (eſt enim in [...] ἐχαρίσατο) Gratuita autem donatio & meritum invicem ſe [...] Obedivit quidem Deo perfectè Chriſtus: ſed illud ipſum [...]ari Dei auxilio factum eſt. Quod tale auxilium Dei [...]xcludit prorſus. Et quod Paulus ait: *Operanti non*

impr